

dentis, in quo consummatio caritatis exprimitur: similiter Cherubim non dicuntur simpliciter videntes, vel scientes, sed pleni scientia. Unde per istum modum scientiam habere non est commune omnibus; quamvis scientia, vel visio omnibus sit communis; & propter hoc non possunt omnes dici Cherubim, ut dicit Dionysius in XII. cap. celest. Hierarch.

Ad septimum dicendum, quod nomina ista desinentia in *in*, ut *Cherubin*, *Seraphin*, sunt neutri generis, pluralis numeri, & ponuntur pro toto collegio unius ordinis. Desinentia autem in *im*, sunt masculini generis, & pluralis numeri, & ponuntur pro pluribus personis unius ordinis. Sed *Cherub*, & *Seraph* sunt masculini generis, & singularis numeri, & significant unam personam illius ordinis. (3)

## ARTICULUS V.

*Utrum omnes Angeli unius ordinis sint æquales.*

1. **A**D quintum sic proceditur. Videtur quod omnes Angeli unius ordinis sint æquales. Major enim est convenientia eorum qui sunt unius ordinis quam eorum qui sunt unius hierarchiæ. Sed Dionysius frequenter vocat æquipotentes eos qui sunt unius hierarchiæ. Ergo videtur multo fortius quod illi qui sunt unius ordinis, sint æquales.

2. Præterea. Quæcumque se habent sicut superius, & inferius, sunt in diverso gradu, vel ordine ordinati. Sed quicumque in Angelis sunt æquales se habent sicut superius, & inferius. Ergo videtur quod sint diversorum ordinum. Ergo si aliqui sint unius ordinis, videtur quod sint æquales.

3. Præterea. Dignitas Angelorum est secundum dona percepta. Sed illi qui sunt unius ordinis, perficiuntur uno dono, ut habetur ex definitione ordinis, in littera posita. Ergo videtur quod sint æquales.

4. Præterea. Quanto aliquid immediatius coniungitur alteri, tanto minus distat ab illo, sicut tria minus distat à duobus quam decem. Sed si Angeli qui sunt unius ordinis, essent inæquales, inferior Angelus unius ordinis (4) magis immediate se haberet ad primum Angelum inferioris ordinis quam ad superiorem sui ordinis. Ergo Angeli diversorum ordinum magis convenirent quam Angeli ejusdem ordinis: quod videtur absurdum. Ergo omnes Angeli unius ordinis sunt sibi immediati, ita quod se mutuo non excedunt.

Sed contra. Ubicumque est primum, medium, & ultimum, ibi est inæqualitas. Sed in Angelis unius ordinis est invenire primos, medios, & ultimos, secundum Dionysium in X. cap. celest. Hierar. Ergo Angeli unius ordinis non sunt æquales.

Præterea. In Angelis est summa pulchritudo post Deum. Sed in diversorum graduum consonantia ordinata consistit ratio pulchritudinis. Ergo videtur quod in Angelis etiam unius ordinis est huiusmodi gradum invenire.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est, Angeli secundum diversitatem naturalium diversimode etiam in gratuitis perfecti sunt, secundum quæ dona in ordinibus distinguuntur. Cum autem supra dictum sit, quod in una specie non sint plures

(3) *Consule comment. in cap. vi. Isaia, ubi paullo diversa leguntur.* (4) *Al. deest magis.* (5) *Al. additur est.*

Angeli, & species in Angelis non possint differre nisi secundum, quod magis, & minus habent de potentialitate, & actu; oportet quod unius Angeli semper natura sit sublimior quam alterius: ideo non est accipere duos Angelos æquales in tota celesti hierarchia.

Ad primum ergo dicendum, quod Angeli unius hierarchiæ dicuntur æquipotentes, non simpliciter, sed secundum quid, scilicet quantum ad modum accipiendi illuminationes divinas, qui est proprius illi hierarchiæ: & similiter Angeli unius ordinis sunt æquipotentes secundum convenientiam in actu illius ordinis, & non simpliciter.

Ad secundum dicendum, quod non qualibet distinctio gradus facit distantiam ordinum, ut supra dictum est; sed illa quæ est secundum diversos actus.

Ad tertium dicendum, quod quamvis omnium sit unum donum, non tamen æqualiter omnes illud participant, sed secundum magis & minus.

Ad quartum dicendum, quod sicut in naturalibus diversa quantitas, & diversa intensio qualitatis non facit diversitatem in specie, sed est dispositio ad diversam speciem, in quantum unaquæque species requirit determinatam quantitatem dimensionis, ut dicitur in II. de Anima (text. xli.) & similiter ad speciem ignis requiritur determinata intensio caloris: unde possibile est ut aliqua minus distet in quantitate, vel intensione qualitatis, quæ magis distat secundum speciem; ita etiam (5) in ordinibus Angelorum, si consideretur distantia secundum rationem quantitatis tantum, non est inconveniens, quod infimus Angelus alicujus ordinis plus distet à supremo sui ordinis quam à supremo inferioris ordinis, à quo tamen differentia formali, & secundum speciem magis distat, in quantum attingit rationem superioris ordinis, quam alius non consequitur; sicut si diceretur, quod frigidissimus vir minus distat à calidissima muliere quam à calidissimo viro, cum quo tamen magis convenit ratione sexus. Et hoc universaliter invenitur, verum in omni re quæ comparitur aliquam latitudinem diversorum graduum.

## ARTICULUS VI.

*Utrum omnes hierarchiæ sint connexæ.*

1. **A**D sextum sic proceditur. Videtur quod non omnes hierarchiæ sint connexæ. Quorumcumque enim ratio consistit in distinctione, eorum non est aliqua connexio: quia connexio dissinctioni opponitur. Sed ratio hierarchiæ consistit in distinctione superioris, & inferioris. Ergo earum non est connexio.

2. Præterea. Quæ differunt in eo quod est maxime commune, non habent ulterius in quo connectantur; sicut quæ specie differunt, genere conveniunt; & quæ differunt generibus generalissimis, non univocantur in aliquo. Sed hierarchia est quid communissimum comprehendens sub se ordines, & personas. Ergo diversæ hierarchiæ in nullo connectuntur.

3. Præterea. In Angelis non est invenire nisi naturalia, & gratuita. Sed in naturalibus non connectuntur, cum sint diversarum specierum: nec iterum in gratuitis, cum diversis muneribus gratiæ diversi ordines perficiantur. Ergo videtur quod ea quæ non con-

junguntur in aliquo uno termino communi, (1) non videntur connexionem habere, sicut discreta. Sed hierarchiæ, & ordines non ununtur in aliquo uno termino communi, cum non sit unus ordo diversarum hierarch. nec unus Angelus diversorum ordinum. Ergo videtur quod non sit aliqua eorum connexio.

Sed contra est quod Dionysius dicit in cap. X. cel. Hier. assignans connexionem ordinum, & hierarchiarum.

Præterea. Dicit Commentator in XI. Metaph. quod ordo substantiarum separatarum sub Deo, & ad invicem, est sicut plurium artium sub una arte communi: unde scientiam Dei assimilat Metaphysicæ, sub qua sunt omnes scientiæ; & sicut plura officia ordinantur sub principe civitatis. Sed in omnibus his est aliqua connexio, secundum quod ad invicem dependent. Ergo videtur quod hierarchiarum celestium, & ordinum sit connexio.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod ordines angelicæ hierarchiæ, omnes sunt connexi ad invicem, & etiam ordinibus nostræ hierarchiæ, ut Dionysius tradit (ubi supra.) Hæc autem connexio intelligenda est ad modum ordinis universi, cujus partes ad invicem ordinatæ sunt, in quantum una alteram juvat ad consecutionem sui finis, & etiam ad ultimum bonum, quod est finis totius universi: ita etiam connexio hierarchiarum est & secundum relationem in unum finem ultimum, & secundum quod omnis hierarchiæ finis est unitas, & similitudo ad Deum; & secundum ea quæ sunt de essentia ipsius hierarchiæ, scilicet secundum ordinem, scientiam, & actionem: secundum ordinem quidem, in quantum in omnibus invenitur distinctio per primum, medium, & ultimum: sicut enim angelica hierarchia, media est inter Deum & nos; ita etiam est accipere in ipsa hierarchia primam hierarchiam, & mediam, & ultimam; & in unaquæque primum ordinem, medium, & ultimum; in quorum unoquoque est accipere primos Angelos, medios, & ultimos, & hoc à primo usque ad ultimum: secundum scientiam vero, in quantum irradiatio divini luminis extenditur à primis usque ad ultimos, ut dicitur Job xxv. 3. *Numquid est numerus militum ejus, & super quem non surgit lumen ejus?* quod tamen non uniformiter ab omnibus recipitur; sed à superioribus in majori simplicitate, & ab inferioribus in minori: secundum actionem autem, quia primi habent actionem hierarchicam in medios, & medii in ultimos, & medii manifestant primos, & ultimi medios, eo modo qui supra expositus est: & sic secundum quatuor quæ in definitione hierarchiæ ponuntur, quadruplex ejus connexio assignatur.

Ad primum ergo dicendum, quod distinctio quæ est de ratione hierarchiæ, est ordinatorum ad invicem, & ad aliquod unum: & talis distinctio connexionem non excludit, sed ponit.

Ad secundum dicendum, quod plurium hierarchiarum est unus finis communis, & una communis perfectio, & ratio: & ideo quæ differunt in hierarchia, connectuntur in fine ultimo, & in communi ratione hierarchiæ, & in lumine perficiente hierarchiam; sed ordines unius hierarchiæ præter hoc connectuntur in his quæ sunt propria illius hierarchiæ;

(1) *Fortè non habeant connexionem, sicut &c.*  
Ex EDIT. P. NICOL. (a) Quod subiungitur tum hic, tum sequenti argumento partim sumitur ex cap. VII. de celesti Hierarch. partim ex Lib. de eccles. Hier. cap. v.

& qui sunt unius ordinis, in propriis illius ordinis.

Ad tertium dicendum, quod Angeli perficiuntur duplici lumine: lumine scilicet naturali, prout sunt intellectus quidam; & lumine gratuito perficiente ad actus hierarchicos: & utrumque lumen est unum in omnibus ex parte principii à quo est, & finis ad quem ordinatur; sed utrumque distinguitur, & appropriatur diversis secundum diversam capacitatem recipientium; tamen distinctio ordinata est, & ipse ordo connexionem ponit; & ideo talis distinctio connexionem non excludit.

Ad quartum dicendum, quod invenitur in hierarchiis, & in ordinibus quidam communis finis, non quod unum sit in diversis, sed in quantum inveniuntur in uno diversorum proprietates secundum convenientiam, & secundum ordinem sapientiæ divinæ, quæ finem primorum coniungit principiis secundorum, ut dicit Dionysius in VII. cap. de div. Nomin. (circa finem.) Et hoc patet discurrere per singulas hierarchias. Primus enim ordo primæ hierarchiæ quodammodo secundum maximum excessum accedit ad divinas proprietates: unde nominatur Seraphim ex proprietate ignis, qui maxime significat divinas proprietates, ut dicit Dionysius in fin. cel. Hierar. Ultimus vero ordo illius hierarchiæ habet quamdam conglutinationem cum ordinibus secundæ hierarchiæ: unde & non denominatur tantum ab actu qui est circa Deum, sed & ab actu qui est in inferiora: & ideo dicuntur Throni, in quantum Deus in eis sedet ut omnia iudicans. Similiter etiam in secunda hierarchia primus ordo, scilicet Dominationem, habet aliquid simile cum hierarchia prima, scilicet præesse, & non exequi. Ita etiam primus ordo tertiæ hierarchiæ, scilicet Principatus, habet aliquid simile cum ordinibus secundæ hierarchiæ: unde & nomen ejus prælationem importat. Similiter etiam & summus ordo nostræ hierarchiæ habet aliquid simile cum ultimo ordine celestis hierarchiæ, & ideo sacerdos vocatur Angelus. Malach. 11. 7. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est.*

## ARTICULUS VII.

*Utrum distinctio ordinum sit à natura.*

*I. P. quæst. cviii. art. 4.*

1. **A**D septimum sic proceditur. Videtur quod distinctio ordinum non sit à natura, ita quod à creatione incoeperit. Conformitas enim mentis ad Deum est per gratiam. Sed hierarchia est deiforme, in quantum possibile est, similans. Ergo videtur quod ordines hierarchiæ non distinguantur nisi per gratiam.

2. Præterea. Secundum Dionysium (a) cap. VII. cel. Hier. per nomina ordinum ostenduntur proprietates eorum. Sed quædam nomina ordinum expriment gratiam, præcipue nomen *Seraphim*, quod imponitur ab ardore caritatis. Ergo videtur quod distinctio ordinum sit per gratiam.

3. Præterea. Nostra hierarchia exemplata est à celesti. Sed in nostra hierarchia non est distinctio ordinum per naturam, sed solum per gratiam sacramentalem, quæ confertur in sacramento ordinis. Ergo videtur quod distinctio ordinum sit per gratiam.

detur quod nec in caelesti sit distinctio ordinum per naturam.

4. Præterea. Ad distinctionem ordinum requiritur gradus secundum actiones hierarchicas, ut unus alium purget, illuminet, & perficiat. Sed hoc non potest esse nisi per divinum lumen in eis receptum. Ergo videtur quod ante collationem gratiæ, nulla fuerit ordinum distinctio per naturam.

Sed contra est quod dicitur in diffinitione ordinis in littera posita, quod ordo est multitudo coelestium spirituum, qui conveniunt in naturalibus datis, & in muneribus gratiæ. Ergo videtur quod etiam per naturam sit distinctio ordinum.

Præterea. Ubi quæque est diversitas gradus secundum superius & inferius, ibi est diversus ordo. Sed à principio creationis ante infusionem gratiæ, si in gratia creati non sunt, fuit in eis gradus superior & inferior, secundum quod quidam erant subtilioris essentia, & perspicacioris intelligentiæ, ut supra dictum est. Ergo videtur quod à principio creationis fuerint in eis ordines distincti.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod donum gratiæ est perfectivum naturæ; & ideo distinctio ordinum est per diversum donum gratuitum sicut per principium formale, & per diversum donum naturale, sicut per principium quasi materiale, & dispositivum: unde diffinitio ordinis, utrumque complectitur, comprehendens principia materialia, & formalia. Sic ergo quodammodo à principio creationis fuit distinctio ordinum, non tamen secundum ultimum complementum.

Ad primum ergo dicendum, quod etiam in natura angelica est quædam deiformitas, secundum quod prima, & nobilior est inter naturas, & magis accedens ad similitudinem divinam, secundum proprietates naturales; sed completa deiformitas est per dona gratuita.

Ad secundum dicendum, quod in Angelis ante infusionem gratiæ erat etiam dilectio creata, & cognitio naturalis, à cuius ardore, & plenitudine possent dici Cherubim, & Seraphim, quamvis non secundum completam rationem.

Ad tertium dicendum, quod homines nostræ hierarchiæ, omnes sunt unius speciei, & naturæ formaliter: unde tota diversitas individuum in eadem specie causatur ex principiis materialibus: & ideo secundum naturam non est distinctio ordinis in nobis, sed secundum potestatem gratis concessam. Nec oportet quod in omnibus nostræ hierarchia cum caelesti conveniat, etsi eam secundum modum suum imiteretur.

Ad quartum dicendum, quod si Angeli haberent naturalia tantum, adhuc lumen unius excederet lumen alterius; & ita posset esse aliqua illuminatio, & perfectio, sed non complete.

Ex EDIT. P. NICOL. (a) Nimirum homil. xxxiv. in Evang. ubi ovium parabolam explicat. (b) Cuius mentio specialis apud Gesnerum in Bibliotheca sua; etsi commentaria tantum ejus in II. Analyticorum posteriorum Librum recenseat, quia forte alia exciderunt. Fuit autem Nicænus Meropolitæ longe alius ab Eustatio Antiochæno.

## ARTICULUS VIII.

Utrum homines assumantur ad ordines Angelorum.

I. P. quest. cviii. art. 8.

1. AD octavum sic proceditur. Videtur quod homines numquam ad ordines Angelorum assumantur. Quia, secundum Dionysium iv. cap. caelest. Hierarch. distinguuntur quatuor gradus rerum: scilicet intellectualium, in quo comprehenduntur Angeli; rationalium, in quo sunt homines; sensibilium, in quo sunt bruta animalia; & existentium, in quo sunt res insensibiles. Sed sensitiva numquam possunt pertingere ad gradum rationalium. Ergo rationalia numquam possunt pertingere ad gradum intellectualium; & ita homines non assumuntur ad ordines Angelorum.

2. Præterea. Plus distat natura hominis à natura Angelorum, & præcipue superiorum, quam natura unius Angeli à natura alterius. Sed Angelus inferioris naturæ non fuit capax illius doni per quod superiores ordinantur in suo ordine; nec breviter Angelus unius ordinis potest pertingere ad superiorem ordinem. Ergo videtur quod nec homines ad ordines Angelorum assumantur.

3. Præterea. Quantumcumque intellectus perficiatur lumine gratiæ, vel gloriæ, semper oportet quod intelligat sub lumine naturali: quia gratia non tollit naturam, sed perficit. Sed lumen naturale in nobis est obumbratum respectu luminis naturalis Angeli. Ergo homo semper magis obscure videbit quam Angelus. Sed tota substantia gloriæ est in visione. Ergo videtur quod homo numquam pertingat ad gloriam Angelorum.

4. Præterea. Quæcumque differunt in hierarchia, differunt etiam in ordine. Sed Angeli, & homines differunt in hierarchia. Ergo videtur quod etiam in ordine; & ita homines non assumantur ad ordines Angelorum.

5. Præterea. Quicumque est in ordine aliquo, habet actum illius ordinis. Sed actus alicujus ordinis est custodire homines, & mitti in ministerium, quod non convenit animabus sanctis. Ergo videtur quod homines ad ordines Angelorum non assumantur.

Sed contra est quod Dominus dixit Matth. xxxiij. 30. quod erunt sicut Angeli Dei in celo. Dionysius etiam dicit in cap. 1. de divin. Nomin. quod homines Angelorum gloriam sortiuntur. Gregorius etiam dicit (a) in homilia de centum ovibus, quod homines secundum diversitatem meritum ad diversos ordines transferentur.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod circa hoc est triplex positio.

Quidam enim (b) Commentator Græcus Episcopus Eustratus nomine, dicit in commento super VI. Ethic. Aristotelis, quod nullus tantum animæ suæ profectum sperare potest ut ad operationem intellectuum separatorum pertingat: & secundum hoc, hominum qui in gloriam assumuntur esset unus ordo.

decimus, inferior novem ordinibus Angelorum. Sed hæc positio est contraria dictis sanctorum, & videtur sapere hæresim, cum etiam beata Virgo super choros Angelorum exaltata sit: nisi forte dictum Commentatoris intelligatur quantum ad naturalem operationem, in quantum scilicet ex naturalibus pertingere potest.

Alia positio est, quod hominum quidam assumuntur ad ordines Angelorum. Alii vero faciunt unum ordinem decimum; & sic impletur similitudo de decima drachma perdita, quæ ponitur Lucæ xv. Sed hoc diversimode assignatur. Quidam enim dicunt, quod solum virgines ad hos ordines assumuntur, eo quod cognata est Angelis virginitas, ut dicit Hieronymus; (c) alii vero electi decimum ordinem constitunt. Sed hoc non est verum, cum multi non sint virgines, ut Petrus, & Magdalena, multis etiam virginibus eminentiores sint. Unde alii dicunt, quod perfecti assumuntur ad ordines Angelorum; sed illi qui sunt imperfectorum meritorum, decimum ordinem consummabunt. Sed cum ex hominibus, & Angelis futura sit una Ecclesia, & una hierarchia, non est probabile quod numerus ordinum qui in caelesti hierarchia competit, per tria terna distinctus, ut ipse numerus ordinum exprimat Trinitatis increata vestigium, per homines augeatur.

Unde tertia positio plus mihi placet, quæ etiam dictis sanctorum magis consonat, scilicet quod omnes electi assumantur ad ordines Angelorum, quidam ad superiores, quidam ad inferiores, quidam ad medios pro diversitate suorum meritorum; sed beata Virgo Maria super omnes. Sed utrum assumantur tot de hominibus, quot ceciderunt Angeli, vel quot perseveraverunt, vel quot fuerunt utrique, vel plures, vel pauciores: ille scit cui soli cognitus est numerus electorum, in superna felicitate locandus. (d)

Ad primum ergo dicendum, quod plus distat ratio à sensu quam intellectus à ratione: quia sensus, & ratio non communicant in uno objecto; cum sensus apprehendat intentiones rerum cum conditionibus materiæ; ratio autem, & intellectus intentiones à conditionibus materiæ separatas: unde in objecto conveniunt; differunt autem in modo: quia in cognitionem veritatis ratio inquirendo pervenit, quam intellectus simplici intuitu videt: unde ratio ad intellectum terminatur: unde etiam in demonstrationibus certitudo est per resolutionem ad prima principia, quorum est intellectus: & ideo non est inconveniens, si homines in sui ultimo gradu ad gradum intellectualium pertingant.

Ad secundum dicendum, quod meritum hominis est efficacius quam meritum Angeli: tum propter difficultatem, quæ est occasio majoris conatus: tum etiam propter continuum augmentum gratiæ, quod potest esse in homine, ut de virtute in virtutem proficiat, cum homo sit diutius viator quam Angelus fuerit: tum etiam in quantum merita nostra efficaciam habent ex merito Christi, cujus gratia est quodammodo infinita: *nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*: Hebr. 11. 10. & ideo magis possunt homines virtute meriti transferri in gradum altioris naturæ quam etiam Angeli.

Ad tertium dicendum, quod in homine naturalis actio nunquam potest attingere ad æqualitatem Angelorum; sed lumen gloriæ superabundans omnem umbram evacuabit, non quidem tollendo naturam, sed perficiendo lumen intellectuale, quod secundum naturam in nobis defective percipiebatur.

Ad quartum dicendum, quod, secundum Dionysium (de cæl. Hier. cap. 1. & de eccles. Hier. cap. 1. & 4.) sicut se habet nostra hierarchia, vel Ecclesia ad caelestem, ita hierarchia veteris legis ad nostram: unde sicut veteris hierarchia erat via in nostram, & significabat eam; & propter hoc, veniente nova, veteris assumpta est in illam, & ad ordines ejus; ita etiam nostra hierarchia est via in caelestem, & signum ejus: unde in patria non erit alia hierarchia hominum, & Angelorum, sed una, & eadem, & homines in ordines Angelorum distribuuntur.

Ad quintum dicendum, quod actus Angelorum in nos consequitur ordines Angelorum magis quantum ad gradum naturæ, quia angelica natura meretur tot de hominibus, quot ceciderunt Angeli, vel quot perseveraverunt, vel quot fuerunt utrique, vel plures, vel pauciores: ille scit cui soli cognitus est numerus electorum, in superna felicitate locandus. (d)

Ad primum ergo dicendum, quod plus distat ratio à sensu quam intellectus à ratione: quia sensus, & ratio non communicant in uno objecto; cum sensus apprehendat intentiones rerum cum conditionibus materiæ; ratio autem, & intellectus intentiones à conditionibus materiæ separatas: unde in objecto conveniunt; differunt autem in modo: quia in cognitionem veritatis ratio inquirendo pervenit, quam intellectus simplici intuitu videt: unde ratio ad intellectum terminatur: unde etiam in demonstrationibus certitudo est per resolutionem ad prima principia, quorum est intellectus: & ideo non est inconveniens, si homines in sui ultimo gradu ad gradum intellectualium pertingant.

## EXPOSITIO TEXTUS.

Unde Dionysius tres ordines Angelorum esse tradit. Sciendum, quod Magister in verbis sequentibus partim accipit sententiam Dionysii, scilicet quantum ad numerum ordinum, partim sententiam Gregorii quantum ad eorum dispositionem: quia secundum Dionysium Principatus sunt de inferioribus, & Virtutes de mediis; secundum Gregorium est converso. Sed ordo Dionysii est secundum quod ipse prius enumeravit, incipiens ab inferioribus, ibi: *Angelos, Archangelos &c.*

## DISTINCTIO X.

An omnes spiritus caelestes mittantur: & ponit duas opiniones, & auctoritates quibus inittuntur.

HOC etiam investigandum est, utrum omnes illi caelestes spiritus ad exteriora nuntianda mittantur. Quidam putant, aliquos in illa multitudo esse qui foras pro officio exeunt, alios qui semper intras assistunt, sicut scriptum est in Daniel. (viii. 10.) „Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.“ Item Dionysius (a) in Hierarchia, quæ sacer principatus dicitur, de prælatione spirituum.

Ex EDIT. P. NICOL. (c) Scilicet in serm. de Assumpt. cujus initium est, *Cogitis me, o Paula, & Eustochium*. Sed Sophronii potius esse quam Hieronymi, passim creditur, & notatur ibidem. Sententiam eandem porro habet expresse Chrysologus, explicans cur Angelus à Deo ad Virginem sit missus propter incarnationem nuntiandam, serm. cxi. qui de Annuntiatione inscribitur: *Bene Angelus ad virginem: quia semper Angelis est cognata virginitas.* (d) Ut in Collecta quadam pro vivis & defunctis dicitur. (a) Immo potius Gregorius, qui postquam hom. xxxiv. in Evang. ut ex Dionysio Areopagita (quem antiquum, & venerabilem Pa-